AUTHOR:

LUBBERT,EDUARD

TITLE:

COMMENTATIO DE DIOMEDE HEROE...

PLACE:

BONNAE

DATE:

[1890]

Master Negative #

91-80313-25

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Lübbert, Eduard, 1830-1889.

... Commentatio de Diomede heroe per Italiam inferiorem divinis honoribus culto. Bonnae, typis Caroli Georgi vniv. typogr. [1890]

16 p. 27 cm.

Programme. Bonn university.

Volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14 1/2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-29-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

no. 7

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICIIS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I II

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES HIBERNOS ANNI CIƆIƆCCCLXXXIX—XXXX

A DIE XVI MENSIS OCTOBRIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

Inest EDVARDI LVEBBERTI *commentatio de Diomede heroe per Italiam inferiorem divinis honoribus culto.*

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

1889/90

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

1. Troezenios primos fuisse, qui Sybaris urbis conditoribus admixti Diomedis cultum in Italiam advexerint.

Gratissima semper cognitu illa antiquae Graecorum historiae pars est, in qua Graeciae populi ut sedula apium agmina ex antiqua patria evagantur, terras longinquas et peregrinas expetentes, deos suos, sacra, mores et instituta cum barbaris salubriter communicantes. Atque huius quidem sacri et profani apparatus, quo instructi coloni ad profectionem se accingebant, una semper pars fuit herois alicuius domestici et patrii imago, quem proficiscentes ut numen tutelare secum turbida maris aequora traicere, sibi ut fidissimum comitem in nova quoque patria adesse, sub cuius quasi vexillis signisque se militare arbitrabantur. Atque inter eos heroes, qui Graecis in Italiam traicientibus praesto fuerunt, primum aliquem haud dubie locum obtinet Diomedes, Tydei filius. Diomedis cultus et religio, quae late postea per Italiam potissumum orientalem patuit, primum in Italiam invecta est a Sybaritis. Sybaris urbis conditores anno ut videtur 721 a. Chr. ex Achaia exorti sunt, quamquam agmen illud emigrantium colonorum minume solorum Achaeorum, sed e variis stirpibus compositum fuit. Strabo VI, p. 263 med.: ἐφεξῆς δ' ἐστὶν (post Crotonem) [ἐν] διακοσίοις σταδίοις Ἀχαιῶν κτίσμα ἡ Σύβαρις δυεῖν ποταμῶν μεταξύ, Κράθιδος καὶ Συβάριδος· οἰκιστὴς δ' αὐτῆς ὁ Ἶσ[ος] Ἑλικεύς. Achaeis potissumum se adiunxerant Troezenii, quos sane paullo post urbem conditam Achaei, cum numero et potentia praevalerent, excedere coegerunt; atque exules Posidoniam ad mare inferum condiderunt. Aristoteles Polit. V, p. 1303, a, 28: οἷον Τροιζηνίοις Ἀχαιοὶ συνῴκησαν Σύβαριν, εἶτα πλείους οἱ Ἀχαιοὶ γενόμενοι ἐξέβαλον τοὺς Τροιζηνίους· ὅθεν τὸ ἄγος συνέβη τοῖς Συβαρίταις. De eiectis Troezeniis, qui Posidoniam condidere [Scymnus] 247: προσε-

χεῖς δὲ τούτοις εἰσὶ πάλιν Οἰνώτριοι, || μέχρι τῆς Ποσειδωνιάδος ὠνομασμένης, || ἥν φασι Συβαρίτας ἀποικίσαι προτοῦ; conf. Klausen, Aeneas II, p. 1163—64. Troezenii igitur, Achaeorum in condenda Sybari socii, ut domesticum sibi et patrium heroem Diomedem secum attulerant. Ac Troezene quidem eius herois memoria frequentissima et cultissima semper fuerat. Diomedes Argolidis in Iliade rex est (Il. β, 560), qui Troezeniis quoque imperat, v. 561: Τροιζῆν' Ἠιόνας τε καὶ ἀμπελόεντ' Ἐπίδαυρον. Diomedes has terras per Cyanippi infantiam (erat is Aegialei, Diomedis uxoris fratris, filius) ut eius tutor regebat; Paus. II, 30, 10: Διομήδης γὰρ καὶ Εὐρύαλος ὁ Μηκιστέως Κυάνιππον τὸν Αἰγιαλέως παῖδα ὄντα ἐπιτροπεύοντες, Ἀργείων ἡγήσαντο ἐς Τροίαν. Diomedis nonnulla instituta sacra apud Troezenios commemorantur; velut Hippolyti, Thesei filii, divinum cultum condidit; Paus. II, 32, 1: Ἱππολύτῳ δὲ τῷ Θησέως τέμενός τε ἐπιφανέστατον ἀνεῖται καὶ ναὸς ἐν αὐτῷ καὶ ἄγαλμά ἐστιν ἀρχαῖον· καὶ ταῦτα μὲν Διομήδην λέγουσι ποιῆσαι καὶ προσέτι θῦσαι τῷ Ἱππολύτῳ πρῶτον. Deinde illud inprimis notabile, quod ad Diomedem Apollinis Epibaterii, hoc est eius Apollinis, qui proficiscentium et naves conscendentium tutor est, templum apud Troezenios extructum referebatur; Paus. II, 32, 2: τούτου ἐντὸς τοῦ περιβόλου ναός ἐστιν Ἀπόλλωνος Ἐπιβατηρίου, Διομήδους ἀνάθημα ἐκφυγόντος τὸν χειμῶνα, ὃς τοῖς Ἕλλησιν ἐπεγένετο ἀπὸ Ἰλίου κομιζομένοις. Deinde Pythiorum apud Troezenios auctor et conditor Diomedes ferebatur; Paus. ibid.: καὶ τὸν ἀγῶνα τῶν Πυθίων Διομήδην πρῶτον θεῖναί φασι τῷ Ἀπόλλωνι. Argis ipsis quoque Diomedes Minervae quorundam sacrorum et novi cognominis auctor fuerat; Paus. II, 24, 2: Τοῦ Δειραδιώτου δὲ Ἀπόλλωνος ἔχεται μὲν ἱερὸν Ἀθηνᾶς ὀξυδερκοῦς καλουμένης, Διομήδους ἀνάθημα, ὅτι οἱ μαχομένῳ ποτὲ ἐν Ἰλίῳ τὴν ἀχλὺν ἀφεῖλεν ἡ θεὸς ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν.

2. Quae ratio iam apud Troezenios Diomedi cum Cerere et Proserpina intercesserit.

Troezenios igitur illos, qui ad Sybarin condendam cum Achaeis in Italiam venerant, non mirum est tam domestici et dilecti sibi herois cultum trans mare advexisse. Praeterea unum inprimis advertendum. Diomedes ab teste luculentissumo, qui de eius in Italia memoria et cultu divino praeclare nos edocet, ab Ibyco Rhegino, Hermionae coniux dicitur, qui propter id coniugium immortalitate donatus sit; Ibycus ap. Schol. Pind. Nem. X, 12, p. 501 Boeckh (p. 294 Abel): ἔστι περὶ τὸν Ἀδρίαν Διομήδεια νῆσος ἱερὰ, ἐν ᾗ τιμᾶται ὡς θεός· καὶ Ἴβυκος οὕτως . . . In hac lacuna nonnulla ex Ibyceis interciderunt; quod valde dolendum; sed non omnia hausta videntur, immo quae postremo sequuntur, licet non ipsa Ibyci verba referant, tamen narrata ab Ibyco haud dubie adumbrare videntur, quemadmodum recte suspicatus est Theodorus Bergkius: τὴν Ἑρμιόνην γήμας ὁ Διομήδης ἀπηθανατίσθη σὺν τοῖς Διοσκούροις· καὶ γὰρ συνδιαιτᾶται αὐτοῖς. Hic de Diomedis cum Hermiona coniugio mythus vix aliis locis, quam in regione Troezenia et Hermionensi, quae

urbs Troezeni vicina est (Paus. II, 34, 6), oriri potuit, quemadmodum rectissume Klausenius coniecit, Aeneas II, p. 1162. Fieri potest, ut huic Hermionae, quam volgo Menelai et Helenae filiam opinantur, maius etiam atque augustius arcanum subiectum sit, ut indicat Klausenius II, p. 1161. Nam 'Hermionae' nomine in Sicilia ipsa Ceres et Proserpina vocabantur, ut tradit Hesychius s. v. Ἑρμιόνη· καὶ ἡ Δημήτηρ καὶ ἡ Κόρη ἐν Συρακούσαις. Et in Peloponnesi urbe Hermiona cultum dearum sanctissimum et maxume patrium fuisse constat. Photius lexico vol. I, p. 212 ed. Naber: Ἑρμιόνη, χωρίον ἄσυλον· ἢ πόλις ἡ ἐν Πελοποννήσῳ, ἔχουσα ἱερὰ Δήμητρος καὶ Περσεφόνης ἄσυλα. conf. Paus. II, 35. Congruit cum hac Klauseni coniectura quod Diomedis quodammodo apud Cererem et Proserpinam frugum deas auctoritas maxima semper est. Audimus enim, ita fuisse, ut cuicunque Diomedes terrae frugum sterilitatem imprecatus sit, ea inevitabili clade Cereris iram experta sit. Res paullo post accuratius apparebit, ubi quemadmodum Dauniis talem devotionem Diomedes comminatus sit exponetur, coactus ille ipsa rerum necessitate, ut ius suum obtineret; conferendus interim Tzetzes ad Lycophron. v. 1056.

Itaque hoc quoque antiquissimi illi Sybaris condendae socii Troezenii ex suo patrimonio attulerunt. Atque haec omnia Sybaritae illis quoque temporibus, quibus Troezenia colonorum pars ab eis crudeliter eiecta est, Aristot. pol. p. 1303, a, 30, tamen retinuerunt (Klausen, Aeneas II, p. 1164). Iam igitur nunc fere eorum, quae postea disputaturi sumus hoc fundamentum ponere licebit. Quamquam nullo certo atque expresso testimonio constat, in urbe Sybari Diomedem ut deum cultum esse, tamen res plane manifesta et omni dubitatione exempta videtur. Nam Thuriis et Metaponti, quarum illa antiqua Sybaris sacra resurgere iussit, haec vero Sybaritis auctoribus condita clarissimis testimoniis Diomedis cultum habuisse evincitur, Diomedis cultus aliunde recipi et propagari non potuit. De Thuriis et Metaponto, itemque de Argyrippa copiose tradiderat Polemo, qui testiomonium dicit ap. Schol. Pind. Nem, X, 12, p. 501 Boeckh: καὶ Πολέμων ἱστορεῖ· Ἐν μὲν γὰρ Ἀργυρίπποις ἅγιόν ἐστι αὐτοῦ ἱερόν· καὶ ἐν Μεταποντίῳ δὲ διὰ πολλῆς αὐτὸν αἵρεσθαι τιμῆς ὡς θεόν, καὶ ἐν Θουρίοις εἰκόνας αὐτοῦ καθιδρύσθαι ὡς θεοῦ. Cum igitur Sybaris urbis propagines Diomedis religionem habuerint, Troezenii vero, Sybaris auctores atque parentes, domi studiosissime Diomedem coluerint, necessario sequitur, Sybaritas Diomedem ut unum ex deis maxume sibi acceptis maxumeque tutelaribus sacris et ludis coluisse.

3. De Metaponti originibus quid Antiochus Syracusanus et Ephorus docuerint.

Longe clarior certiorque Diomedis memoria apud Metapontinos est, quod potissumum Polemonis apud Pindari Scholiastam testimonio supra allato constat. Hanc huius herois memoriam colligere operae pretium est, quoniam inde qua tenacitate, vel potius

pietate dixerim, patriorum numinum religiones coloni retinuerint, luculenter apparet. Ac Metapontum quidem bis conditum a Strabone narratur, semel temporibus plane mythicis a Nestore cum copiis suis ex Troiana expeditione redeunte, cuius rei documentum et vestigium Metapontini posteriores potissumum sacra nonnulla funeralia sollemniter redeuntia (ἐναγισμούς vocabant illi) in Nelidarum honorem adferebant. Strabo VI, 264 extr. Πυλίων δὲ λέγεται κτίσμα τῶν ἐξ Ἰλίου πλευσάντων μετὰ Νέστορος, οὓς οὕτως ἀπὸ γεωργίας εὐτυχῆσαί φασιν, ὥστε θέρος χρυσοῦν ἐν Δελφοῖς ἀναθεῖναι· σημεῖον δὲ ποιοῦνται τῆς κτίσεως τὸν τῶν Νηλειδῶν ἐναγισμόν· ἠφανίσθη δ' ὑπὸ Σαυνιτῶν. Deinde Metapontum iterum, aliquot decenniis post Tarentum, cuius urbis origo ad annum 708 revocanda videtur, conditum est atque impulsu potissumum Sybaritarum, qui ad Tarentinos coercendos et in eorum potissimum invidiam, ne fertilissimos illos agros sibi vindicarent, novos in has regiones colonos vocasse dicebantur. Extat eximium atque praestantissumum de huius coloniae primordiis testimonium Antiochi Syracusani apud Strabonem VI, p. 264; 265. Sybaritas igitur, ait ille, Achaeorum multitudinem, unde ipsi Sybaritae oriundi fuerant, excitasse ad urbem in Tarenti lateribus haesuram condendam, quo et ipsi Sybaritae tutiores essent, Tarentini vero hostibus semper ad incurrendum promptissimis minus audaces et ad adgrediendum minus parati et proni. Antiochus l. s.: τὸν τόπον ἐποικῆσαι τῶν Ἀχαιῶν τινας μεταπεμφθέντας ὑπὸ τῶν ἐν Συβάρει Ἀχαιῶν, μεταπεμφθῆναι δὲ κατὰ μῖσος τὸ πρὸς Ταραντίνους . . ., ἵνα μὴ Ταραντῖνοι γειτνιῶντες ἐπιπηδήσαιεν τῷ τόπῳ. Nec tam difficile fore Tarentinos incursionibus a lateribus factis infestare; immo id sua sponte processurum p. 265 init.: προσθήσειν δὲ τοῖς Ταραντίνοις τὸ Μεταπόντιον ἐν πλευραῖς οὖσι. Quare his exhortationibus capti Achaei illi in Metaponti regione consederunt. Metapontum antiquiore atque Italico nomine Metabum vocatum erat, Str. p. 265: δοκεῖ δ' Ἀντίοχος, τὴν πόλιν Μεταπόντιον εἰρῆσθαι πρότερον Μέταβον, παρωνομάσθαι δ' ὕστερον. De ducibus, qui huic coloniae condendae praefuerint, varia narrantur. Ephorus Daulium, Crisae dynastam, coloniae auctorem perhibuerat, Str. p. 265: οἰκιστὴς δὲ τοῦ Μεταποντίου Δαύλιος ὁ Κρίσης τύραννος γεγένηται τῆς περὶ Δελφούς, ὥς φησιν Ἔφορος. Deinde maxume populare atque domesticum est apud Metapontinos nomen Leucippi, qui a parte Achaeorum, coloniae participum, ut dux potissumus huius expeditionis memorabatur; Strabo p. 265: ἔστι δέ τις καὶ οὗτος λόγος, ὡς ὁ πεμφθεὶς ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν ἐπὶ τὸν συνοικισμὸν Λεύκιππος εἴη.

4. De numo argenteo, quo Acheloi fluvii apud Metapontinos sacra et ludos fuisse demonstratur.

Iam haec omnia si perlustremus, quaeritur, Diomedis ut patrii et domestici numinis cultus ex qua potissumum colonorum Metapontinorum parte prodire potuerit. Videmus enim tam Sybaritas coloniae condendae patronos eosdemque Diomedis cultui maxume deditos fuisse, quam Achaeos, qui heroem aliquem Leucippum, Diomedi, equorum pa-

trono, cognatissumum, attulerunt; denique Daulium Crisaeum, coloniae ducem primarium, hoc certe suo quoque huius coloniae patronatu valde probabile reddere: ex septentrionalis quoque Graeciae ultra sinum Corinthium regionibus, ex Aetolia ipsa, ut mox adparebit, colonorum, longinqua petentium, agmen illud auctum esse. Non opus profecto est, in hoc trium partium concursu contentionem et controversiam movere. Unaquaeque suum quendam proprium Diomedem attulit; nam illis temporibus Diomedes Graecorum Italiam versus migrantium sollemnis et legitimus heros erat, sine quo nec recte eo traici, nec sedes ibi inter Italos populos, sua quadam haud dubie animorum cultura florentes, sed tamen barbaros recte occupari posse videbantur. Quare cum Italici littoris occupandi tunc studia florerent, Diomedes vario ornatu et habitu variaque, pro stirpium Graecarum procul proficiscentium diversitate, religionum et mythorum specie ornatus ad colonos ducendos adsciscebatur. Ac primum quidem nunc illa documenta inspiciamus, quibus Diomedem Metapontinum ex Aetolia oriundum fuisse et Aetolorum aliquot familias huic coloniae insertas sui, Aetolici, Diomedis colendi auctores extitisse evincitur. Floret in urbe Metaponto Acheloi fluvii memoria. Extat numus elegantissimus et eximius argenteus cum Acheloi imagine, qui pulcherrima arte chalcographica eleganter expressus est in opere Ducis de Luynes et F. J. Debacq: Métaponte, Paris, 1833, fol. planche I. Hic numus ipsa inscriptione docet, cultum aliquem divinum Metaponti fluvii Acheloi fuisse. Ac pars quidem numi antica, quae dicitur, notissimum ostendit illud Metapontinorum insigne: aristam hordei et locustam cum lectione ΜΕΤΑ; pars postica mirificae artis imaginem: primum ipsius Acheloi cum capite humano cornibus taurinis praedito et paullulum inclinato; atque deus manu dextra pateram tenet. Iuxta dei deinde figuram ulvae caulis se attollit, ex cuius foliis corona decidi possit. Denique marginem occupat inscriptio litteris tam priscis, ut eam typis nunc nostris reddere non possimus, duobus vocabulis concepta, quorum alterum a sinistra ad dextram currit: ΑΧΕΛΟΙΟ; alterum a dextra ad sinistram: ΑΘΛΟΝ. Enarrat et enuntiat haec inscriptio, ludos in honorem Acheloi in urbe Metaponto celebratos esse, quibus ludis eiusmodi numi praemii loco victoribus tributi sint, fortasse cum ulvae corona.

5. Diomedis in urbe Metaponto tres quasi species diversas confluxisse, e quibus una certe Diomedis Aetolici fuerit.

Sed unde quaeso haec Acheloi apud Metapontinos memoria, quibus nullus nomine Acheloi vicinus fluvius est? Ac fuerunt, qui eorum sacrorum memoriam et origines iam ad antiquissima illa Metaponti urbis initia, quibus a Nelidis et Nestore condita dicitur, Strabone VI, 264 teste, revocarent, velut ipse vir ille clarissimus, qui tam praestanter de huius urbis antiquitatibus meruit, dux de Luynes. Is igitur Acheloum Metapontinum, tam in numo, quam in sacris ludis, ex Peloponneso advectum et Nelidarum Acheloum

domesticum arbitratur, qui in Italiam cum colonis migrarit. Acheloi Peloponnesiaci memoria Pausaniae debetur, qui Thisoaeam (Θεισοαίαν) in Arcadia regionem eum cum quattuor aliis rivis adluisse dicit; Paus. VIII, 38, 9: διὰ δὲ τῆς χώρας τῆς Θεισοαίας ῥέοντες ἐμβάλλουσιν ἐς τὸν Ἀλφειὸν Μυλάων, ἐπὶ δὲ αὐτῷ Νοῦς καὶ Ἀχελῷος καὶ Κέλαδός τε καὶ Νάλιφος. conf. Curtius, Peloponnes I, 358. Verba doctissimi Ducis p. 7 haec sunt: *Une monnaie fort ancienne de Métaponte nous offre précisément un fleuve à tête humaine cornue, appuyé sur un roseau (i. e. ulva) et faisant une libation au-dessus d'un dauphin. Autour est écrit:* Ἀχελοιο ἆθλον. *C'est ici, probablement, l'Acheloüs d'Elide, et non celui d'Etolie, puisque les Pyliens, fondateurs de Métaponte, avaient un fleuve de ce nom. Ce témoignage si authentique confirme le passage de Strabon cité plus haut.* Sed haec coniectura propterea minus probabilis est, quod Achelous in Thisoaea, licet Pyliorum regum fines perflueret, tamen minume apud Pylios tam clarus esse potuit, ut, cum illi procul proficiscentes trans mare colonias statuerent, aliorum fluviorum nomina obscuraret, velut Alphei et Nedae. Itaque haec explicatio satisfacere non videtur. Immo Acheloum haud alium esse statuendum est, quam notissumum illum Aetolorum, ipsorum Aetolorum et Acarnanum fines dirimentem. Aetolicarum igitur familiarum aliqui coetus vel manipulus in illis Metapontinorum colonis fuit, qui ex Graecia antiqua in illam Italicam traiecerunt. Eae familiae sui Acheloi cultum et sacra attulerunt, atque una cum Acheloo Diomedem quoque. Non abhorret ab hac sententia Klausenius, Aeneas I, 458 et 459 et II, 1163; 1171. Adiuvatur haec sententia eo, quod venationis Calydoniae memoria in his Italiae regionibus urbibusque non ignota est; velut Beneventi inter antiquissima urbis salutis pignora et monumenta, quae conditores, inprimis Diomedes, attulisse dicebantur, apri Calydonii dentes ostendebantur, quos quidem ab avunculo suo (θείῳ), Meleagro, Diomedes dono acceperat. Procopius de bello Gotthico I, 15, p. 77 ed. Dindorf, Bonnae 1833, vol. II, pars 2.: Βενεβεντὸν δὲ ... Διομήδης ποτὲ ὁ Τυδέως ἐδείματο, μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν ἐκ τοῦ Ἄργους ἀποκρουσθείς· καὶ γνώρισμα τῇ πόλει τοὺς ὀδόντας συὸς τοῦ Καλυδωνίου ἐλείπετο, οὕς οἱ θεῖος Μελέαγρος ἆθλα τοῦ κυνηγεσίου λαβὼν ἔτυχεν, οἳ καὶ εἰς ἐμὲ ἐνταῦθά εἰσι, θέαμα λόγου πολλοῦ ἰδεῖν ἄξιον, περίμετρον οὐχ ἧσσον ἢ τρισπίθαμον ἐν μηνοειδεῖ σχήματι ἔχοντες. Quae omnia si reputemus, Metaponti eam quoque Diomedis formam et speciem cultam esse probabile est, quae in Aetolia domestica et patria erat. Ac Diomedes aprum arcens, quae belua Cerer et eius frugibus maxume adversa est, optime etiam congruit cum Diomede Troezenio Hermionae coniugi, quem Metapontinos ab Sybaritis accepisse supra statuimus.

6. De aliorum quoque septentrionalis Graeciae heroum in Italiae cultu et memoria. In narratione de Epeo Phocensi, equi Troiani architecto, qui Lagaream condidit, poetarum conspicuorum et arte sua praestantium manum adparere.

Ne quid obliti videamur, quo septentrionalis Graeciae heroum in Italia memoria illustretur, de Epei, Panopei filii (conf. Iliad. XXIII, 665), Phocensis, equi Troiani architecti,

nunc fabulis in Italia propagatis dicendum est. Nam haec quoque recte considerata in eam partem pro argumento accipi poterunt: Acheloi Aetolici et Diomedis Aetolici cultum, non tantum Troezenium et Argivum, cum colonis Metapontinis in has terras peregrinas migrasse ibique radices egisse. Epeus igitur, Panopei filius, matrem habuit Lagaream, quam vehementi ac vesano amore captus olim Panopeus ex communi bellica praeda opulentissima furatus erat, quam in notissimo illo cum Telebois bello Amphitruo victor ceperat. Panopeus enim Amphitruoni in eo bello se socium adiunxerat. Narrat rem Scholiasta ad Iliad. XXIII, 665: Πανοπῆος] στρατεύσας σὺν Ἀμφιτρύωνι κατὰ Τηλεβοίων ἐκ τῶν κοινῶν λαφύρων κεκλοφὼς Λαγάρειαν ἴσχει υἱὸν Ἐπειόν. Epeus igitur, cuius opera potissumum Troia capta fuerat, ipse quoque in Italiam delatus est ibique in proxima Metapontinorum vicinia urbem condidit, cui pietatis causa matris suae Lagareae nomen imposuit. Strabo VI, p. 263 extrem.: Μετὰ δὲ Θουρίους Λαγαρία φρούριον, Ἐπειοῦ καὶ Φωκέων κτίσμα, ὅθεν καὶ ὁ Λαγαριτανὸς οἶνος. Steph. Byz. s. v. Λαγαρία, φρούριον Σικελίας ('nam Italiam inferiorem aliquotiens Siciliam vocat Stephanus', quemadmodum Meinekius adnotat ad Steph. Byz. s. v. Σινόεσσα p. 570) πλησίον Θουρίων, τοῦ Ἐπειοῦ καὶ Φωκέων κτίσμα, ὡς Στράβων. De vinis Lagarinis Plinius nat. hist. XIV, §. 69: *Omnium vero eorum maxume illustrata Messalae Potiti salute Lagarina, non procul Grumento nascentia.* Lagaream oppidum haud procul a Metaponto afuisse, immo intra fines Metapontinorum sitam fuisse, valde verisimile est; ac potest hoc inde colligi, quod ipsam Metapontum urbem Iustinus ab Epeo conditam esse tradit, ut is, quasi nullum inter Lagaream et Metapontum discrimen intercesserit, quod in solam Lagaream caderet, ad Metapontum quoque transtulisse videatur. Iustin. XX, 2, 1: *Metapontini quoque in templo Minervae ferramenta, quibus Epeos, a quo conditi sunt, equum Troianum fabricavit, ostentant: propter quod omnis illa pars Italiae maior Graecia appellata est.* conf. egregie de his antiquitatibus disputantem Klausenium, Aeneas I, p. 457 sq.

Iam igitur eius quoque fabulae, qua maxume freti Metapontini et Lagarini Epeum ut urbium suarum auctorem et parentem ostentabant, quamque ut aliquod fidei pignus in originibus suis definiendis iactabant, mentio nunc facienda est. Epeus igitur cum condita Lagarea in patriam redire vellet, miraculum subito factum esse. Minervam enim per somnia identidem ei comparuisse eumque hortatam esse, nunquam id se, ut domum rediret, concessuram, nisi instrumenta illa, quibus equum Troianum fabricasset, in aeternam rei memoriam Lagareae in aede sacra ab eo condenda reliquisset. Epeum per aliquod tempus cunctatum et tergiversatum esse, denique cum nullo modo navigatio e portu procederet, sed navis in eadem semper vertigine volveretur (αὐτὸν βραδυτέρας τυγχάνοντα τῆς ἀναγωγῆς εἰλεῖσθαι ἐν τῷ τόπῳ), Epeum deae obsecutum imperata fecisse. Hanc fabulam copiose narrat Aristoteles Mirabil. auscultat. 108: Περὶ δὲ τὴν Ἰταλίαν τὴν καλουμένην Λαγαρείαν, ἐγγὺς Μεταποντίου, Ἀθηνᾶς ἱερὸν εἶναί φασιν Ἑλληνίας, ἔνθα τὰ τοῦ Ἐπειοῦ λέγουσιν ἀνακεῖσθαι ὄργανα, ἃ εἰς τὸν δούρειον ἵππον ἐποίησεν, ἐκείνου τὴν ἐπωνυμίαν ἐπιθέντος. Quae in hac

narratione sequuntur ea haud dubie colorem habent narrationis cuiusdam poetarum manibus versatae atque excultae; inest admodum viva et alacris descriptio tam severitatis perstantis in proposito suo Minervae, quam scrupulorum cunctantis semper Epei, si verba recte expendantur: Φανταζομένην γὰρ αὐτῷ τὴν Ἀθηνᾶν κατὰ τὸν ὕπνον ἀξιοῦν ἀναθεῖναι τὰ ὄργανα, καὶ διὰ τοῦτο βραδυτέρας τυγχάνοντα τῆς ἀναγωγῆς εἰλεῖσθαι ἐν τῷ τόπῳ, μὴ δυνάμενον ἐκπλεῦσαι· ὅθεν Ἑλληνίας Ἀθηνᾶς τὸ ἱερὸν προσαγορεύεσθαι. Denique clarissimo documento ostendi potest, hanc fabulam inter narrationes de Graecarum urbium in Italia primordiis locum valde conspicuum obtinuisse, Lycophronis luculento hercle testimonio, v. 948: τὰ δ' ἐργαλεῖα, τοῖσι τετρήνας βρέτας || τεύξει ποτ' ἐγχώροισι μέρμερον βλάβην || καθιερώσει Μυνδίας ἀνακτόροις. Quod Myndiam pro Hellenica Minerva Lycophro habet, non magni momenti est; nam licet in nomine discordent, Lagareae certe hoc templum statutum esse, Lycophroni cum Aristoteli convenit; Lycophro enim haud dubie Epeum ut Lagareae conditorem designat v. 930: Ὁ δ' ἱπποτέκτων Λαγαρίας ἐν ἀγκάλαις.

7. De tertia quadam Diomedis apud Metapontinos specie, quae sub *Leucippi*, unius e conditoribus Metaponti, nomine latet. Equus tuticus oppidum unde ita nominatum sit.

Sed ad has Diomedis Metapontini formas, Aetolicam et Troezeniam, tertia etiam, nisi prorsus fallimur, accessit. Etenim Leucippus quidam ut nobilissumus Metaponti conditor memoratur, qui Achaeorum e Peloponneso emigrantium dux fuerit. Strabo VI, p. 265: ἔστι δέ τις καὶ οὗτος λόγος, ὡς ὁ πεμφθεὶς ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν ἐπὶ τὸν συνοικισμὸν Λεύκιππος εἴη. Hunc Leucippum Klausenius, Aeneas II, p. 1159 et 1160 acutissima coniectura ipsum Diomedem, cognomine ab re indito, fuisse statuit. Nam re vera Diomedes et in Italia ut eximius equorum patronus colitur, et in vetere Graecia maxume ut equorum pulcherrimorum et niveo colore insignium semper dominus celebratur. In Iliade quotiens praestantissimarum bigarum raptor est! Libro certe quinto, qui eius aristiam canit, haud minus ter tam praestanti praeda ille potitur, ut qui in rebus Homericis ad suspicandum proniores sint, de interpolationibus ex iteratione ortis cogitare possint. Prima pugna est adversus Daretis, Volcani sacerdotis, filios, quorum alterum saltem Volcanus, patris misericordia commotus, servat; locus notissimus Il. V, 23: ἀλλ' Ἥφαιστος ἔρυτο, σάωσε δὲ νυκτὶ καλύψας, || ὡς δή οἱ μὴ πάγχυ γέρων ἀκαχημένος εἴη. || ἵππους δ' ἐξελάσας μεγαθύμου Τυδέος υἱός || δῶκεν ἑταίροισιν κατάγειν κοίλας ἐπὶ νῆας. Deinde duos Priami filios, Echemmonem et Chromium, occidit et equorum praeda potitur; Il. V, 163: ὣς τοὺς ἀμφοτέρους ἐξ ἵππων Τυδέος υἱός || βῆσε κακῶς ἀέκοντας, ἔπειτα δὲ τεύχε' ἐσύλα· || ἵππους δ' οἷς ἑτάροισι δίδου μετὰ νῆας ἐλαύνειν. Denique equos longe pulcherrimos capit ipsius Aeneae, qui ab Anchisa patre bigam acceperat ex illa prosapia, quam Anchises Laomedonti furatus erat, feminas equas maribus clam subiciens; hac vero equorum subole Iuppiter Troem regem, Ganymedis pa-

trem, pro erepto filio quasi mercede oblata, consolatus erat; Il. V, 265. Post acrem cum Aenea pugnam hanc quoque praestantissimam praedam equestrem Sthenelus mandatu Diomedis abigit; Il. V, 322: Αἰνείαο δ' ἐπαΐξας καλλίτριχας ἵππους || ἐξέλασε Τρώων μετ' ἐυκνήμιδας Ἀχαιούς. Postremo de Rhesi equis res notissima, qui pulcherrimo colore niveo et velocitate insignes sunt, Il. X, 437: λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. Hos quoque Ulixes abigit Diomedi obsecutus, Il. X, 498: τόφρα δ' ἄρ' ὁ τλήμων Ὀδυσσεὺς λύε μώνυχας ἵππους, || σὺν δ' ἤειρεν ἱμᾶσι, καὶ ἐξήλαυνεν ὁμίλου || τόξῳ ἐπιπλήσσων. Haec iam apud Homerum celebrata haud dubia arctiorem quendam Diomedis cum re equestri et equorum cultu conexum omnino indicant ac, ni omnia fallunt, sunt ea fabularum et mythorum, qui in Italia de Diomede effloruerant, de Argyrippa a Diomede condita, de Euippa, Dauni filia, eius coniuge, iam quaedam rumorum vestigia, quae ad Homeridas pervenerant.

Cum Diomedis equorum singularis patroni in Italia memoria haud dubie cohaeret nomen oppidi Equus tuticus. Hoc quoque ut multa alia Diomedes condidisse fertur. Narrat de urbium in Italia stabilimentis a Diomede factis Servius ad Aeneid. VIII, 9: *civitates plurimas condidit; nam et Beneventum et Equum tuticum ipse condidit, et Arpos, quae et Argyrippa dicitur.* Oppidi Equi tutici quasi insigne et ornamentum publicum equus colossi instar eminens, qui miraculi loco ostendebatur, fuisse videtur. Nuceriae quoque simile spectaculum exstructum est civis alicuius munificentia, qua de re eximia inscriptione edocemur, quae Nuceriae reperta est. Publicavit eam Mommsenius in Dialectis Italiae inferioris pag. 305: *M. Virtio M. f. Men. Cerauno aedili II vir. iure dicundo praefecto fabrum V vir. cui decuriones ob munificentiam eius, quod equom magnum posuerat et denarios populo dedicatione eius dederat, duumviratum gratuitum dederunt. Nuceriae.* conf. Orelli-Henzen no 7121. Clarissimus denique Diomedis cum equorum cura coniuncti cultus est apud Venetos ad Timavum fontem septem rivis defluentem prope Aquileiam. Haec et loca et sacra luculenter describit Strabo V, p. 214 sq.: ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου καὶ ἱερὸν τοῦ Διομήδους ἐστὶν ἄξιον μνήνης, τὸ Τίμαυον· λιμένα γὰρ ἔχει καὶ ἄλσος ἐκπρεπὲς καὶ πηγὰς ἑπτὰ ποταμίου ὕδατος, εὐθὺς εἰς τὴν θάλατταν ἐκπίπτοντος, πλατεῖ καὶ βαθεῖ ποταμῷ. In Diomedis honorem apud Venetos usitata sunt sacrificia alborum equorum; Strabo ibid. p. 215 med.: τῷ δὲ Διομήδει παρὰ τοῖς Ἑνετοῖς ἀποδεδειγμέναι τινὲς ἱστοροῦνται τιμαί· καὶ γὰρ θύεται λευκὸς ἵππος αὐτῷ. Sed, unde deflexit oratio, Leucippus ille apud Metapontinos cultus, nonne ipse Diomedes, qui hoc cognomine aptissime ornari potuit, videtur? Caput Leucippi barbatum, viri iam annis paullo provectioris, galea ornatum in aliquot pulcherrimis Metapontinorum numis conspicitur. Unum exemplar excudendum curavit Mionnet: Description de Médailles antiques, Planches, Paris 1808, planche LXIV, no. 7; pars antica Leucippi caput cum inscriptione ΛΕΥΚΙΠΠΟΣ continet una cum canis venatici imagine; pars postica aristam et columbae imaginem cum inscriptionibus ΜΕΤΑ et ΑΜ. Repetiit hunc typum Klausenius, Aeneas II, tab. III. no. 14. conf. plura huius numi exem-

plaria enumerata et descripta apud Mionnet, Description vol. I. Paris. 1806 p. 160 et Supplément vol. I, Paris. 1819, p. 301.

8. Duae sunt de Diomedis in Dauniam adpulsu narrandi formae; altera magis ludibunda, a poetis exculta, in qua Diomedis comites iam in itinere in aves commutantur.

Sed posteaquam nunc oram Italiae meridionalem consideravimus, Sybarin, Metapontum, iam magis ad orientale litus acies convertenda, quod quemadmodum in Graeciam vergit, ita Diomedis imaginem potissumum ut numinis alicuius omnium Graecorum in Italiam traicientium tutelaris et singulari praesidio haec agmina comitantis illustrat. Ac minume eius nomen et veneratio in Achaeis seu Aetolis colonis continetur; immo Graecorum stirpes quaelibet eum sibi praefixerunt, et eius tutela et patronatu muniti atque sub eius quasi signis iter in peregrinas illa regiones bona fiducia freti susceperunt. Diomedem igitur plurima ex illis colonorum agminibus ut urbium suarum conditorem celebrabant. De Diomedis in Italiam adpulsu, cum ex Aetolia Argos revertens praeter oram Peloponnesi occidentalem veheretur et gravi tempestate e cursu suo deiceretur, duae narrationes paullulum inter se diversae traduntur. Altera poetarum magis Alexandrinorum artificia et myrothecia redolet; altera historicorum potius parcissimos quosdam, sed haud spernendos opinor in hac aliorum monumentorum penuria thesauros. In priore narrationis forma, quae origine haud dubie recentior est, Diomedes iam in ipso itinere, antequam ad litus Italicum navem appellit, socios suos nota illa in aves Diomedeas metamorphosi facta amittit; in altera fabulae specie cum comitibus Italiam occupat, regnum condit ac socii illi fidissumi et nimium ducis sui memores post domini demum obitum in aves mutantur. In priore igitur narrationis forma ad Veneris erga Diomedem iram omnia revocantur; in posteriore vestigia quaedam historiae ad coloniarum in Italia Graecarum origines spectantia et cum fructu coniuncta insunt. Ovidius Met. XIV, 464—511 ea, quae ad delectandum idonea viderentur, prompsit et exornavit. Quam decantata haec narrationis forma apud Alexandrinos fuerit, una sententia saepius iterata docere potest: Graecos, Troiae eversores, inter saevissimas clades quas in reditu exantlaverint, vel Priamo miserandos videri potuisse; haec sententia in hac narratione Ovidio cum Vergilio communis est; Ovid. met. XIV, 474: *Graecia tum potuit Priamo quoque flenda videri;* Vergilius Aen. XI, 259: *vel Priamo miseranda manus.* Idem iam dixerat Pacuvius, Tragic. Rom. fragm. ed. Ribbeck, Lips. 1871 v. 391: *Priamus si adesset, ipse eius commiseresceret.* Vergilii quoque, quod valde dolendum, nam Vergilius meliora noverat eisque uti consueverat, Aeneidis libro XI, 270—277 ad totius carminis consilium et structuram magis intererat, ut Veneris iram a Diomede inritatam et illa ultione sibi satis facientem depingeret, v. 272: *Et socii amissi petierunt aethera pennis, || fluminibusque vagantur aves, heu dira meorum ||*

supplicia! et scopulos lacrimosis vocibus implent. || Haec adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt || tempore, quum ferro caelestia corpora demens || appetii et Veneris violavi volnere dextram.

9. In altera narrandi forma Diomedes comites colonosque salvos in Italiam, ac Dauniam quidem, adducit. Hos colonos Antoninus Liberalis cap. 37 egregio fonte usus *Dorienses* fuisse perhibet.

Longe fructuosius alterum narrandi genus est, quod Timaei copiarum frusta nonnulla continet, in qua narratione Diomedes comites salvos ad oram Italiae adducit. Hanc memoriae formam Antoninus Liberalis servavit in Metamorphosibus cap. 37, quod caput, si ad utilitatem exigatur, quae ad historiam rerum inde redundare possit, re vera fructuosissimum est. Ovidius Diomedis comites, tanquam hoc unice ita fieri potuerit, Aetolos fuisse statuit; Metam. XIV, 494: *Pleuronius Acmon.* Vergilius quoque, quamvis in talibus ceteroquin cautus et perspicax reconditorum scrutator, tamen Diomedeorum sociorum patriam non tam anxie curavit; Aetolos fuisse significat Aen. XI, 270: *pulchram Calydona viderem?* Longe doctius Antoninus Liberalis, suis quibusdam electissimis fontibus fretus. Is igitur quam tandem comitum Diomedis stirpem refert? Eam hercle, quae maxume aures arrigat: fuerunt, inquit, *Dorienses.* Itaque apud Antoninum narrationi 37 titulus praefigitur: Δωριεῖς, atque in ipsa narratione, ubi de praedae divisione agitur, haec leguntur: ταύτην μὲν Δωριεῦσιν ἔνειμε τοῖς σὺν αὐτῷ. Hoc minume inanibus fabulis nititur, sed fundamentum eximium habet et cognitu dignum. Nam *Rhodios* sane cum *Cois* coniunctos in has terras colonos misisse constat. De Arpis nominatim non traditum est, sed de oppido vicino *Salapia*; Vitruvius I, 4, 12 (p. 30 ed. Rose): *Item in Apulia oppidum Salpia vetus, quod Diomedes ab Troia rediens constituit sive quemadmodum nonnulli scripserunt, Elpias Rhodius.* Strabo de Rhodiorum coloniis disserens XIV, p. 654: καὶ μέχρι Ἰβηρίας ἔπλευσαν, κἀκεῖ μὲν τὴν Ῥόδην ἔκτισαν, ἣν ὕστερον Μασσαλιῶται κατέσχον, ἐν δὲ τοῖς Ὀπικοῖς τὴν Παρθενόπην, ἐν δὲ Δαυνίοις μετὰ Κῴων Ἐλπίας. Steph. Byzant. s. v. Ἐλπία, πόλις ἐν Δαυνίοις, κτίσμα Ῥοδίων. Hi Dorienses quod Diomedem ut mythicum archegetam sibi praefixerunt, inde explicandum, quemadmodum pulchre exposuit O. Mueller, Dorier I² p. 114 not., quod et Cous et Rhodus insula Doriensium Argivorum coloniae sunt; Argivorum vero potissumus quidam heros est Diomedes. Itaque coloni illi ad emigrandum parati more Graecorum metropolin suam discidentes salutarunt eiusque sacra secum in loca peregrina sibi destinata ut pignora et praesidia salutis abstulerunt. Accedit, quod Diomedes apud Troezenios templum Apollinis colonis patrocinantis et faventis condiderat, Pausan. II, 32, 2: ἐντὸς τοῦ περιβόλου ναός ἐστιν Ἀπόλλωνος ἐπιβατηρίου, Διομήδους ἀνάθημα. Itaque mirum iam non est, quod Diomedem vel Doriensium ducem in his regionibus invenimus.

10. Aetolos quoque Diomede suo, quem illi semper non corporis, sed animi oculis praesentissimum videbant, patrono fretos in Dauniam traiecisse ibique sedes cepisse. Dauniorum immane et barbarum erga Aetolos odium.

Sed Aetoli quoque haud dubie cum patrio apud se et proprio rursus ac peculiari Diomede ad Dauniam condendam occupandamque advenerant. Traditur historiola quaedam admodum cognitu digna, unde apparet, Aetolos vetus cum Daunia commercium habuisse ac regionis eius principatum et dominium aliquod ad se vindicasse, vetere scilicet illo immigrationis Diomedeae titulo fretos; qua de re elegantissume exposuit Klausenius, Aeneas II, p. 1190. Constanti sane in hac narratione fama adicitur, Daunios hoc Aetolorum in Daunia hospitium vehementer respuisse atque barbara hercle saevitia talem invasionem reppulisse, quod cum vi quadam vere tragica narrari solet. Narrationis igitur summa haec est: Diomedem indignabundum et quod a veteribus incolis invidiam sibi et posteris suis instare suspicabatur, de Daunia terra a se servata atrocem hanc devotionem exsecrationemque pronuntiasse: Ne unquam Ceres et Proserpina admitterent, ut Daunia terra fruges aratoribus redderet, nisi Aetolorum colonia aliqua iustam ibi sedem haberet et eius terrae bonorum particeps esset, quam suo periculo Diomedes hostibus eripuisset. Tzetzes ad Lycophron. 1056: Διομήδους καταρασαμένου τὴν τῶν Δαυνίων χώραν μὴ καρποφορῆσαι ποτέ, εἰ μὴ ὑπὸ Αἰτωλῶν ἐργάζοιτο. Daunios igitur quos tam molestae conditionis, sempiternae Aetolorum societatis, paeniteret, omnia, quibus id malum excuterent, machinatos esse, atque cum forte ita evenisset, ut nulli apud se Aetoli reperirentur et cum, qualis erat illa devotionis formula, frugum sterilitas inde timeretur, legatos in Aetoliam misisse cum hoc rogatu, ut ei Aetoli, quibus id volentibus esset, ad se traicerent et agrorum illos fines, quos Diomedes olim possedisset, ut sua rura colerent. Tzetzes ibidem: οἱ Δαύνιοι παραγενόμενοι εἰς Αἰτωλίαν ἐκήρυξαν τοὺς βουλομένους αὐτῶν ἐλθεῖν καὶ ἀπολαβεῖν τὸ μέρος τῆς Διομήδους γῆς. Iam cum hac venia usi et allecti nonnulli Aetolorum venissent, Daunios eos intra illius agri fines, qui quondam Diomedis heredium sive κλῆρος fuisset, inclusos, crudeli sepultura vivos terra obruisse (κατέχωσαν), gloriantes, invenisse sese, quemadmodum et conditioni in devotionis formula verbo saltem tenus satisfacerent eademque opera hospites molestos e medio tollerent. Tzetzes ibid.: ἐλθόντων δὲ τῶν Αἰτωλῶν εἰς τὴν τῶν Δαυνίων χώραν καὶ ἀπαιτούντων τὴν γῆν, οἱ Δαύνιοι λαβόντες αὐτοὺς ζῶντας κατέχωσαν λέγοντες· Ἀπειλήφατε τὸν κλῆρον τῆς γῆς ὑμῶν, ὃν παρ' ἡμῶν αἰτεῖτε· οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ τὸν Διομήδην.

Haec ac similia de Diomede eiusque comitibus Aetolis Doriensibusque in eis carminibus sine dubio accuratius copiosiusque enarrata erant, quibus *Diomedeis* (Διομηδείαις) titulus erat. Nam haec carmina epica minume tantum, opinor, in fatis Diomedis in ipsa Graecia et ad Troiam exantlatis absolvebantur et continebantur, sed aliqua eorum haud dubie pars, quemadmodum in Aneide fit, in Italiam transgrediebatur et herois, tot Italarum urbium conditoris et parentis, facta et fata apud hos extremi occidentis populos persequebatur. Graecorum heroum ad Italiae populos adventus eorumque ibi stabilimenta fama antiqua celebrata erant. Timaeus Tauromenita copiosissimam talium narrationum copiam in litteratorum hominum notitiam invexerat. Hae fabulae magnum haud dubie plausum apud Alexandrinos poetas invenerant, cuius rei luculentus testis est Lycophron, qui talibus vestigiis abundat. Itaque Vergilius non primus fuit, qui Italas antiquitates ad carmen pulcherrimum exornandum adhibuit et cum Troiani herois fatis coniunxit, sed habuit ille vetustiores auctores, quorum vestigiis incessit, ac si accurate de hoc fabularum genere, quo Graeci vel Troiani in Italiam adpulisse narrantur, quaeratur, sine dubio talium carminum vestigia haud pauca apparebunt. Etiam Catonem in Originibus plane ab hac opinione pendere videmus, plurimarum Italicarum civitatium origines ad Troianos Graecosve advenas redire. Ipsum Aeneidis argumentum seorsum a Vergilii Aeneide et proprio quodam suo incremento excultum esse constat, de eaque re, cognitu dignissima, admodum subtiliter monitum est ab Henrico Jordano meo in aureola nota ad Prelleri Mythologiam Roman. Berol. 1883 vol. II, p. 321, 1.

11. Carmina epica, quibus *Diomedeis* (Διομηδείαις) titulus fuerit, Italica quoque Diomedis fata complexa esse; quibus omnino indiciis constet, diversorum tam Graecorum quam Troianorum heroum res in Italia gestas satis amplam epicis carminibus materiam praebuisse.

Sed redeundum est ad Diomedeas. Unius huius argumenti carminis memoriam ex oblivione in lucem nuper protraxit collega meus praestantissumus et carissimus, Franciscus Buechelerus, in Museo Rhenano vol. XLIV p. 318. Scripsit Diomedeam duodecim libris compositam Antonius Iullus, ad quem Horatius carmen libri IV, 2 conscripsit; erat Horatio iudice haec Diomedea specimen altioris illius et sublimioris stili, a cuius imitatione se ipsum longissume remotum esse Flaccus affirmat. Antonius Iullus filius est triumviri M. Antonii atque consulatum anno 23 a. Chr. n. gesserat, qua de re inscriptione praeclara edocemur: *Imp. Caes[ar] divi f. August. pontif. maximus, cos. XI, tribunicia potestate XIIII, ex stipe, quam populus Romanus K. Januariis apsenti ei contulit, Jullo Antonio Africano Fabio cos. Mercurio sacrum.* De Diomedea Antonii testis est Acron ad Horat. Carm. IV, 2, 2: *Heroico metro Diomedias duodecim libros scripsit egregios, praeterea et prosa aliquanta.* Diomedeas deinde ut Heracleas Iuvenalis tempore argumenta admodum trita et decantata fuisse Iuvenalis docet I, 53: *Haec ego non agitem? sed quid magis? Heracleas || aut Diomedeas aut mugitum labyrinthi?* In hisce Diomedeis, ac de Antonii Iulli carmine id magna fiducia spoponderim, Diomedis fata Italica locum ampliorem obtinebant, id quod ingens copia talium fabularum, quae de Diomedis in Italia rebus gestis narrantur, luculenter confirmat. Quantopere iam Alexandrinis poetis Diomedis haec extrema vitae pars in

